

quod utrumque præstabat: & cum, antiquorum more, irregularis adhuc esset in Ecclesia Misnensi cantus, Benno Episcopus, data opera, regularem ac legitimum canendi usum, juxta Hildesheimensis Ecclesiæ ritum ac consuetudinem ad Misniam primus traduxit, fecitque, ut concinne ac eleganter in hodiernum usque diem cantetur. (b) Improbat vero quorundam cantandi morem AILREDVS Abbas, (c) Bernhardi æqualis: Ad quid, inquit, illa vocis contractio ac infractio? Hic succinit: ille discinit: alter supercinit: alter medias quasdam notas dividit ac incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando, virili vigore deposito, in femineæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu, exspirare, non cantare: ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi mimitari silentium, nunc agones morientium, vel ecstasin patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitur, torquentur labia, rotantur oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio: & ubi hæc frequentius agitentur, ibi DEO honorabilius serviri clamatur. BERNHARDVS ipse cantantium vitia his verbis redarguit ac perstringit: Sunt quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur: nec tantum gaudent de dono gratiæ; sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quam libri habeant, tanta est levitas vocis, forsitan & mentis: Cantant, ut placeant, populo magis, quam DEO.

K

§. II.

(b) Emserus in Vita Bennonis c. 16. (c) vid. Bona l. c. Cap. XVII. p. 608.